

1736.

1. Albinus, Dr. Haurian: De his quae per subhastationem extinguntur vel non.
2. Berolinensis, Pet. Christ: Ord. iur. Decan: Lectio benevolo 1. 17. I. (ad orationem Gottlob Christian Körner iuncta)
3. Berolinensis, Pet. Christian: Observations et processum processori summarij
4. Brokes, Haurian: De Empusa Lethine little rarie iugato.
5. Brokes, Haurian: De Ceti's contestatione maleficio vanum imperante
- 6^{1st} Capponius, Frider. Benedicta: Vindiciae Capponianae sive sententiae ... Benedicti Capponii. 2. Sampf
7. Capponius, Frider. Bonaventura: Vindiciae Capponianae.



- 8^a, 6.^o
= Cappozzo, Frater Benedictus: De criminis res, qd
3 Regul.
9. Crullius, Christph Ludovicus: Finlegium, pecuniae
et certam easem creditum ex animo dantis auctoritatem.
10. Crullius, Christph Ludovicus: Observations de rectibus
^{anno} seniori monete solatis
11. ¹⁶ Hancaccius, Christianus: De praesidio principiis
divinis, jure congrui et retractioris.
12. Haferengius, Henricus Gordius: De creatione dicas
mundi ex nihilo in tempore.
13. Herren, Martinus: Sacra Ratio academicorum, qua
publicam symbolicam praecepimus, quia ad ianuam
sancte reges auctoritatus ritibus comprehensam
... propmet
14. Kraus, Jo. Gordius, M.d. iur. ... occasus: Lectio
benovolo s. p. d. (ad reputationem solennem
Christiani Specht iuncta)

- 15^a.^b Kraus, Dr. Gottfried: Ord. iuridici ... decamus;
lectori benevolo s.j. d. (ad reputationem solennem
Christiani Gottfried Brucke invitat.)
16. Kraus, Dr. Gottfried Ord. iuridici ... decamus;
lectori benevolo s.p.d. (ad reputationem
affl. alumnorum Prof. Ferdinand Zschotke invitat.)
17. Leyser Augustinus: Adulterii poenam ex
duabus saltem causis mitigari posse ... ordi-
nat.
18. Leyserus, Augustinus: De incesta.
19. Leyserus, Augustinus: De stupro violento.
20. Leyserus, Augustinus: Quoniam colono tam-
num in fructibus jam percepti partio merces
remittatur.
21. Leyserus, Augustinus: De stupri iudicio iusti.
22. Leyserus, Augustinus: Ne puer a stupri arbi-
trio iuris relinguenda.

23. Leyserus, Augustinus : De origine et speciebus
juriis
24. Leyserus, Augustinus : De polygania . Von der
Viel - Weiberey.
- ^{a, b} 25. Leyserus, Augustinus : De concubinatu . Intra
duo pro obtinendis summis iuribus honoribus.
26. Martinus, Irenaeus Mauritanus : De principiis . idem Denyud
antiquioribus literarum statibus & commentariis
27. Specht, Christianus : De sculchis et sciabinis
28. Stenzelinus, Christ. Grapf : Morbus corporis morbo
mentis non curari nec curantes esse . . . De
ministrat
29. Hermannus, Grauer : De rebus , quae in fundam
dici possunt .
- ^{a, b} 30. Werdener, L. Frider : De natali solo legi salu
cione .

Bra 13. num. 17.

Cod. 17.9

Q. D. B. V. 1736 5
DISSE^TAT^O IVRIDICA
DE
L I T I S
CONTESTATIONE
MALAM FIDEM NON
INFERENTE
QUAM PRAESIDE
HENRICO BROKES
IVRIVM DOCTORE
FAVTORE AC DOCTORE SVO OMNI PIETATE
COLENDO
IN ILLVSTRIS AD ALBIM ACADEMIAE
AVDITORIO IVRIDICO
D. XII. IVL. CIO ID CC XXXVI.
PVBLICE VENTILANDAM
PROPONET
FRIDERICVS PHILIPPVS
LINGKIVS
DRES^D. MISN. LL. CVLTOR.

VITEMBERGAE
TYPIS EPHRAIMI GOTTL^O EICHESFELDI.



DISSESTITATIE MARCHIA
LITERATURAE
CONSTITUTIONE
MANU PREDICTIONE
INFERENTIA
HENRICO BROKES
LUDVICO DOCTORE
AUDITORIO FARNICIO
PAETICO EUDICIO
ERIDERICAS PHILIPAS



§. I.



Arii sunt litis contestationis effectus. Sic litis contestatio quasi contractum inducit. Actor postulante, et reo contradicente, dabatur a praetore iudicium, quod partes ita ratum habuisse iudicantur, ut illius cognitioni atque sententiae sponte sese submiserint. Inde V LPIANVS in l. 3. ff. 11. de pecul. fatetur, iudicio contrahi. Firmato quasi contractu, oritur nouatio, l. 29. ff. de nouat. Et deleg. quae tamen, cum priorem obligationem haud tollat, l. 13. ff. 4. de pignor. est saltem impropriæ talis. Nouatio ista parit actionem rei iudicatae.

§. II.

Litis contestatio efficit, ut actiones, quae alias in heredes non devolucebantur, iam in heredes transferant. Eadem est quasi contractus. (§. I.) Actiones, ex quasi contractu uenientes, heredibus et contra he-

redes dantur. *l. 49. ff. de O. & A.* Colligo, actionem, facta litis contestatione, in heredes transfire. Inde poenalia iudicia, semel accepta, in heredes transmittuntur. *l. 164. ff. de R. I.* si modo in illis ciuiliter, non criminaliter, agatur. *l. 3. s. fin. ff. de accusat.* *l. 20. ff. de poen.*

§. III.

Litis contestatio actiones temporales facit perpetuas. *l. 9. s. 3. ff. de iure iur.* *l. 139. ff. de R. I.* *l. ult. C. de praescript. 30. annor.* Eadem est quasi contractus. (*s.i.*) Actiones, ex contractu, vel quasi contractu uenientes, sunt perpetuae. *l. 3. C. de Praescr. 30. uel 40. annor.* IVSTINIANVS in *l. ult. C. de praescr. 30. uel 40. annor.* hanc addit rationem, qua dicit, aliam esse condicione illius, qui in iudicium uenit, & certamina subiit, litem autem implere per quosdam casus praepeditus fuit, ac illius, qui omnino tacuit. Actio tamen doli per litis contestationem propter singulare illius odium non sit perpetua. *l. fin. C. de dol. mal.*

§. IV.

Procurator per litis contestationem fit non quidem rei, bene tamen ipsius litis dominus, ita, ut ipse omnia suo quasi nomine in iudicio peragere possit. *l. 4. s. 3. ff. de alien. iud. mut. cauf.* *l. 4. ff. fin. ff. de appell.* *l. 22. & 23. C. de Procurat.* Nihil per extraneam personam acquirebatur. *s. 5. Inst. per quas person. acquir.* *l. 126. ff. 2. ff. de V.O.* *l. 73. s. ult. ff. de R. I.* Inde nemo tam in, quam extra iudicium pro alio agere poterat. Actiones erant actus legitimi. *l. 2. s. 6. ff. de orig. iur.* Actus legitimi neque diem, neque conditionem, neque procu-

procuratorem admittebant. *I. 123. pr. ff. de R. I.* Inde iudiciale negotia proprio, non alieno tractabantur nomine. *pr. Inst. de iis, per quos ag. poss.* Nam, quo procuratores circa violationem Romani iuris admitterentur, ex cogitatum fuit litis dominium, litis contestatione fundatum. Immediate ante litem contestatam alter alterum interrogabat, utrum auctor fieret, seu, utrum causae periculum subiret, quo ipso quilibet sua se response obstringere dicebatur. *Conf. D.N. BOEHMER. diff. de domin. lit.* Hodie procuratores non amplius sunt litis domini, sed nudi litis alienae administratores.

§. V.

Quaeunque post litis contestationem contingunt, ad iudicis potestatem spectabant. Huic, fatente **V**LPIANO in *I. 25. §. 8. ff. de aed. edict. statim arque iudex factus est, omnium rerum officium incumbit, quaeunque in iudicio uersantur; ea autem, quae ante iudicium contingunt, non ualde ad eum pertinent, nisi fuerint ei nominatim iniuncta. Incipiebat iudicis officium demum a tempore litis contestatae. Inde iudex non eorum, quae ante iudicium gesta sunt, sed eorum, quae in iudicium sunt deducta, rationem habebat. Hunc effectum hodiernae litis contestationi, cum iudicium hodie non a litis contestatione incipiat, non possum non denegare.*

§. VI.

Exceptiones dilatoriae, facta litis contestatione, remouentur. *I. 12. C. de except.* Eadem constitendum iudicium differunt. Per litis contestationem iu-

A 3

dici-

dicitum constituitur. Inde exceptiones dilatoriae post litem contestatam non amplius admittuntur. Se-
cūs est, si eadem, oppositae, iudicium reddant ipso iure nullum, uel post litem contestatam demum e-
mergant, uel grauamen contineant successuum.

§. VII.

Litis contestatio actionem, pariter ac ipsam rem fa-
cit litigiosam. *Aub. litigiosa C. de litigios.* Actio,
uel res litigiosa est, quae in iudicium est deducta. Iu-
dicium incipit demum a tempore litis contestate. (§. 5.)
Inde per litis contestationem res fit litigiosa. His
positis, alienationes post iudicium acceptum sunt in-
terdictae. *I. 3. ff. famil. ercise.* Hodie qualitas rei lit-
igiosae non litis contestationi, sed ipsi iamiam citatio-
ni, tribuitur.

§. VIII.

His, et aliis litis contestationis effectibus addunt pe-
culiare, quo litis contestationi malam fidem af-
signant. Communis fere haec est doctorum senten-
tia. Non subscribo huic communī sententiae, iudi-
cans, litis contestationi malam fidem per se non inesse.
Idem est, quod hoc specimine illustrabo, de *litis con-
testatione, malam fidem non inferente, acturus.*

§. IX.

Litis contestatio alia est in sensu Romani iuris, alia in
sensu juris hodierni. In sensu Romani iuris litis
contestatio est mutua conuentio de causa in iudicium
deducenda. Haec conuentio solenniter coram pae-
tore

MALAM FIDEM NON INFERENTE.

tore, testibus adhibitis, siebat. Sc. ante iudicium constituendum res coram praetore agebatur. CICERO haec profert: *Atque etiam ante iudicium de constituendo ipso iudicio solet esse contentio, cum aut, sine actio illi, qui agit, aut iamne sit, aut, num iam esse desierit, aut illane lege, bisne uerbis sit actio, quaeritur: quae, etiamsi ante, quam res in iudicium uenit, aut concertata, aut diuidicata, aut confecta non sunt: tamen in ipsis iudiciis permagnum suepe habent pondus, cum ita dicitur: plus petiisti: Jero petiisti: non fuit tua petatio: non a me, non bac lege, non bis uerbis, non hoc iudicio.* Inde narratio actoris et contradicatio rei coram praetore siebat. l. 14. s. i. C. de iudic. Narratione proposita, & contradictione obiecta, partes iudicij constituendi autores erant, praetor uero dabat iudicem, qui causam cognosceret, ac sententia sua terminaret. Testes adhibebantur, qui probarent, fuisse hanc actionem institutam, reum hoc, uel illo modo contradixisse, sponsiones has inter litigantes intercessisse, datumque hac formula iudicem. Hoc modo siebat litis contestatio. Confer. NOODT de iurisdict. l. 1. c. 15. p. 147. et HEINECCII Antiquit. Rom. libr. 4. tit. 6. §. 42. FESTVS modum factae litis contestationis proponit his uerbis: *Contestari litem dicuntur duo, aut plures aduersarii, quod ordinatio iudicio utraque pars dicere solet: TESTES EST OTIE.* Iam patet ratio, cur de actore quoque in legibus ciuilibus praedicetur litis contestatio. Conf. Auth. Libellum C. de lit. contest.

§. X.

In sensu hodierni iuris litis contestatio est responsio
rei

rei ad libellum. Eo ipso, quo reus ad singula ipsius libelli capita articulatim respondeat, eo ipso reus litem contestari dicitur.

§. XI.

Litis contestatio, siue eadem in sensu Romani iuris, siue in sensu iuris hodierni consideres, est maxime necessaria. Per litis contestationem Romano iure fundatur iudicium. (§. 5. 7. 9.) Responsio ipsius rei maxime desideratur, quo appareat, utrum circa intentionem actoris ipsi quid monendum uideatur, necne. Causa non audita, nemo damnatur. Inde litis contestatio in omni processu est necessaria. Omisfa litis contestatione, omne, quicquid gestum fuit, est ipso iure nullum. c. ur. X. de lit. cont.

§. XII.

Narrantur uariae litis contestationis diuisiones. Transeant istae, cum eadem ad scopum meum, quem mihi praefixi, non tendant. Eam tamen diuisionem, qua litis contestationem in affirmatiuam, negatiuam & mixtam dividunt, adduco, quoniam eadem praesenti rei inferuit. Affirmatiua litis contestatio est responsio, qua reus intentionem actoris confitetur. Negatiua litis contestatio est responsio, qua reus intentionem actoris negat. Mixta litis contestatio est responsio, qua reus intentionem actoris partim confitetur, partim negat. Confessio fit aut cum, aut sine additamento exceptionum peremtoriarum.

§. XIII.

MALAM FIDEM NON INFERENTE.

9

§. XIII.

Mala fides est scientia iniustae causae. Scientia nititur euidentibus rerum argumentis. Inde mala fides euidentia iniustae causae argumenta supponit. Evidentia iniustae causae argumenta dolum produnt. Inde mala fides inuoluit dolum.

§. XIV.

Malae fidei opponitur bona fides. Haec est opinio iustae causae. Opinio nititur probabilibus rerum argumentis. Inde bona fides probabilia iustae causae argumenta supponit. Evidentia iustae causae argumenta ueritatem rei inducunt, quippe quae in l. 136. ff. de R. I. bonae fidei diserte opponitur.

§. XV.

Rem mala fide tenens dicitur possessor malae fidei. Hic est in dolo constitutus. (§. 13.) Iura dolosis non fauent. Inde m. f. possessor non modo omnes omnino fructus restituit; §. 2. *Inst. de offic. iudic.* uerum etiam periculum ipsius rei sustinet. l. 40. pr. ff. de bered. petit.

§. XVI.

Rem bona fide tenens audit bonae fidei possessor. Hic est instar domini, cum bona fides tantum praestet, quantum ipsa rei ueritas. l. 136. ff. de R. I. Inde bonae fidei possessor in percipiendis fructibus id iuris habet, quod dominis praediorum tributum est. l. 25. §. 1. ff. de usur. Inde b. f. possessor liberam agendi facultatem habet, adeo, ut rem alienare, donare, aut formam ipsius rei immutare possit. l. 25. §. 11. ff. de bered.

B

per.

10 DE LITIS CONTESTATIONE

per. Imo b. f. possessor nulli querelae propter rem, in deterius mutatam, est subiectus, cum re sua se abuti putet, et sic rem, quasi suam, negligat. *l. 25. §. 11. l. 31. §. 3. ff. eod.*

§. XVII.

Bona fides praesumitur. Quilibet in iure nostro praesumitur bonus, atque doli expers. Sic plerumque credendum est, eum, qui partis dominus est, iure potius suo re uti, quam furti consilium inire. *l. 5. pr. ff. pro soc.* Sic uerberans communem seruum actione iniuriarum non tenebitur, cum iure domini id fecerit. *l. 15. §. 36. ff. de iniur.* His positis, bona fides non potest non praesumiri. Firmata b. f. praesumtione, apparet, illum, qui bonam fidem allegat, eandem probare non debere. Vi contrariorum mala fides non praesumitur. Exclusa m. f. praesumtione, is, qui dolo dicit factum aliquid, docere dolum admisum debet. *l. 18. §. 1. ff. de probat.* *l. 6. C. de dol. mal.*

§. XVIII.

Probatio dolii nitatur indicis perspicuis. *l. 6. C. de dol. mal.* Idque eo magis, quo magis firma pro bona fide militat praesumtio. (*§. 17.*) Inde non ex eo, quod duplum is, qui a matre tua mancipium comparauerat, euictio nomine stipulatus est, alienae rei scientia conuincitur: nec opinio eius ex hoc laeditur, ut malae fidei emtor existimetur. *l. 30. C. de euict.* Aliis itaque, addit Imperator in eadem lege, hoc indicis, si uis, probare debes.

§. XIX.

§. XIX.

His positis, errant, qui ex uno, altero uero negotio, ci-
tra solidam rationem, malam fidem eruunt. Sic
ex sola denunciatione, emtori facta, ne emeret, mala
fides non inducitur. Contrarium MASCARDVS in
libro de *Probationibus Vol. II. conclus. 1002. n. 24.* pro-
ponit. Eadem auctori l. 17. C. de rei uind. patrocinium
sententiae praestare uidetur, in qua haec leguntur:
*Si fundum uestrum, uobis per denunciationem admonentibus
uolentem ad emtionem accedere, quod distractabentis non fuerit,
non recte is, contra quem preces funditis, comparauit,
uel alio modo mala fide contraxit: tam fundum uestrum con-
stitutum probantibus, quam fructus, quos eum mala fide per-
cepisse fuerit probatum, aditus praeses prouinciae restitu iu-
bit.* At enim uero in eadem lege non est sermo de
simplici denunciatione, sed de tali denunciatione, quae
cum firma iuris probatione est coniuncta. Haec eum,
cui fit denunciatio, in mala fide constituit, non illa. Sa-
ne, si uel simplex denunciatio sufficeret, quid opus
esset praescripta in lege allegata probatione, qua de-
monstratur, fructus mala fide fuisse perceptos?

§. XX.

Falluntur, qui cum MASCARDO l. c. n. 62, malam fi-
dem in eo statuunt, qui a luxurioso, pecuniam sta-
tim in malum usum consumturo, emit. Bona emen-
tis fides non poterit per uendoris luxuriam labefac-
tari. Ultima l. 8. ff. pro emtor. uerba, quae sic flu-
unt: *nisi forte et is, qui a luxurioso et prorinus scorto da-
zuro pecuniam, seruos emit, non usucapiet, obstare uiden-
tur.* Non obstant, si notes, eadem uerba de prodi-

go, iuridice tali, cum quo contrahere non licet, uel de eintore, ex aliis iam argumentis in mala fide constituto, esse intelligenda.

§. XXI.

Auero sunt alieni, qui cum MASCARDO l.c. n. 64. insolitis cautelis contrahentem et nimis caute precedentem malae fidei accusant. Cautelae sunt actus prudentiae, ad auertendum damnum adhibiti. Iam, quo magis omni iure sibi prospicere licet, eo magis cautelas adhibere decet. Crescit gradus prudentiae per maiorem cautelarum obseruationem. Inde tantum abeat, ut diligens cautelarum obseruatio malam fidem inducat, ut potius maiorem prudentiae gradum ostendat.

§. XXII.

Simili ratione errant, qui ex sola litis contestatione malam fidem eruunt. Ipse aliter sentio, firmiter persuasus, litis contestationem per se malam fidem non inferre. Assertum iis, quae sequuntur, nititur fundamentis.

§. XXIII.

Mala fides est scientia iniustae causae. (§. 13.) Litis contestatio in sensu Romani iuris est mutua conuentio de causa in iudicium deducenda. (§. 9.) Conuentio ista a reo, ex probabilitibus iustae causae argumentatis iniri potest. Probabilia iustae causae argumenta excludunt scientiam iniustae causae. (§. 13. et 14.) Inde litis contestatio, in sensu Romani iuris accepta, non semper malam fidem arguit. Eadem sunt, quae ad litis contestationem, in sensu hodierni iuris sumtam, applico.

applico. Haec est responsio rei ad libellum. (§. 10.) Responsio ex probabilibus iustae causae argumentis fieri potest. Probabilia iustae causae argumenta scientiam iniustae causae remouent. (§. 13. et 14.) Inde litis contestatio, in sensu iuris hodierni accepta, itidem non semper malam fidem inducit.

§. XXIV.

Mala fides non praesumitur. (§. 17.) Innuo, malam fidem nec in dubio circa litis contestationem praesumi. Idque eo minus, quo magis poenae dolosae inficiationis, in iure nostro fundatae, existant. §. 26. *Inst. de a. f. l. fin. ff. de R. V. l. 2. §. 1. ff. ad L. Aquil. l. 1. §. 1. ff. depos.* In Saxonia Electorali per N. P. S. O. tit. 16. §. 3. non modo poenae inficiationis, in iure ciuili statutae, confirmantur; uerum etiam reus, articulos, quorum intuitu iuramentum est delatum, in ipsa contestatione litis negans, deinceps uero affirmans, exceptionibus, contra eosdem articulos ipsi competentibus, priuatur. Videmus, ipsas leges saluberrima ratione dolosis inficiationibus obices posuisse. Sic mala fides, quae iam per se circa litis contestationem haud praesumitur, eo minus erit metuenda.

§. XXV.

Actor plus uice simplici iniustam causam habere potest. Taceo, auctorem interdum actionem contra alterum per calumniam intentare. Integer, qui in uolumine iuris ciuilis occurrit, titulus de *Calumniatoribus* luculentissima huius rei testimonia praebet. Quid? quod, si nulla calumniae suspicio in auctorem cadere posset, non opus esset iuramento calumniae,

ab auctore praestando. *l. 2. pr. C. de iure iur. prop. calum.*
 His concessis, prout sunt concedenda, ui contrariorum sequitur, reum plus uice simplici iustum habere causam. *l. 24. pr. ff. de usur.* Reo plus uice simplici iustum causam habente, sequitur, quod ipse non semper sit in mala fide constitutus, quae iniustum supponit causam. (§. 13.)

§. XXVI.

Probationi post item contestatam datur locus. Idem iam olim in more fuit positum. Scilicet litis contestatione facta, res a praetore transibat ad iudicem. Huic primum tota causa breuissime, quasi per indicem, exponebatur. Breuis illa causae narratio audiabat *causae coniectio*. Testis huius rei est **ASCONIUS PAEDIANVS**, qui ad *Cic. Verrin. III. p. 184.* Cum litigatores, inquit, ad iudicem uenissent, antequam causa ad iudicem ageretur, quasi per indicem rem exposuerunt, atque id ipsum dictum est causae coniectio, quasi causae in breve coactio. Causae coniectione facta, partes suam uel actionem, uel exceptionem testibus, litteris, tabulis, deductisque ex ipsa re argumentis probabant. Conf. **HEINECC. Antiquit. Rom. libr. 4. tit. 17. §. 8.** Hodie probatio actionis pariter ac exceptionis itidem fit post item contestatam, cum litis contestatio demum probanda indicet. Quid uero opus est probatione actionis? quid opus exceptionis probatione? si reus eo ipso, quo item contestatur, fiat malae fidei particeps. Probatio iudici fit propter causam dubiam. Evidentia facti non indiget probatione. *c. 31. de Reg. iur. in 6to.* Mala fides est scientia iniustae causae, et sic evidentia

am

am inuoluit. (§. 13.) Eo igitur ipso, quo litis contestationi esse etum malae fidei generaliter attribuis, eo ipso evidentiam iniustae, quam reus habet, causae, et cum ea superfluum probationis factum concedis. Ultimum negabis. Si hoc facias, prius quoque necessario debes negare.

§. XXVII.

Datur sententia absolvitoria. Reus plus vice simplici iustam causam habet. (§. 25.) Inde reus plus vice simplici absolvitur. Quae cum ita sint, reus non semper fit per litis contestationem malae fidei compos. Mala fides est scientia iniustae causae. (§. 13.) Iniusta causa parit condemnationem, et sic reus, quod tamen non fit, in omni lite condemnari deberet.

§. XXVIII.

Non loquor absque lege. Prouoco ad l. 2. C. de fruct. & lit. expens. in qua haec leguntur: *Litigatior uictus, qui post conuentionem rei incumbit alienae, non in sola rei redhibitione teneatur, nec tantum fructuum praestationem eorum, quos ipse percepit, agnoscat: sed etiam eos, quos percipere potuisset, non, quos eum redegisse constat, exsoluat ex eo tempore, ex quo, re in iudicium deducta, scientiam malae fidei possessoris accepit.* His uerbis clare dicitur, malae fidei possessorem omnes omnino fructus restituere debere, non a tempore litis contestationis, seu rei in iudicium deductae, sed a tempore, quo ipse re in iudicium deducta, scientiam malae fidei possessoris accepit. Colligo, solam litis contestationem malam fidem non inferre, cum alias fructus percipiendi

endi statim a tempore litis contestationis, seu rei in iudicium deductae, essent praestandi.

§. XXIX.

Aliud sententiae praesidium ex *I. 40. pr. ff. de hered.*
petit, desamo, in qua PAVLVS haec profert: *Illud*
quaque, quod in oratione Diui Hadriani est: VT POST
ACCEPVTM IVDICIVM ID ACTORI PRAE-
STETVR, QVOD HABITVRVS ESSET, SI EO
TEMPORE, QVO PETIT, RESTITUTA ESSET HE-
REDITAS: interdum durum est. Quid enim, si post litem
contestatam mancipia, aut iumenta, aut pecora depierierint?
damnari debet secundum uerba orationis: quia potius peri-
tor, restituta hereditate, distractisse ea. Et hoc iustum esse
in specialibus petitionibus Proculo placet. Cassius contra
sensit. In praedonis persona Proculus recte existimat: in
bonae fidei possessoribus Cassius. Nec enim debet possessor
aut mortalitatem praestare, aut propter metum huius pe-
riculi temere indefensum ius suum relinquare. Silicet ui
sententiae, qua uel sola litis contestatio malam fidem
inferre dicitur, non potest non ordinari, ut reus acto-
ri post acceptum iudicium omne illud, quod actor
litis contestationis tempore habiturus fuisset, praestet,
ac periculum sustineat, cum reus per litis contestati-
onem pro malae fidei possessore habeatur. Inde suadent,
ut reus statim cedat. Haec, fatente PAVLO,
dura sunt, cum possessor non debeat mortalitatem
praestare, aut propter metum huius periculi temere
indefensum ius suum relinquare. Afferitur, non o-
mnen reum post litem contestatam debere mortaliti-
tatem praestare. Infero, non omnem reum post li-
tem

tem contestatam esse in mala fide constitutum. Afferitur, ipsum reum post litem contestatam adhuc ius habere posse. Infero, non omnem reum post litem contestatam esse malae fidei auctorem. Afferitur denique, reum post litem contestatam non temere debere indefensum ius suum relinquere. Infero, non omnem reum post litem contestatam fieri malae fidei participem, cum iura dolosis non succurrant.

§. XXX.

Porro l. 25. §. 2. ff. de usur. adduco, in qua **IULIA-NVS:** Bonae fidei emtor, inquit, seuit: *et, antequam fructus perciperet, cognovit, fundum alienum esse; et percep-tione fructus suos faciat, quaeritur. respondi: bonae fidei emtor, quod ad percipiendos fructus, intelligi debeat, quam diu euictus fundus non fuerit. nam et seruus alienus, quem bona fide emero, tam diu mihi ex re mea, vel operis suis ac-quiret, quam diu a me euictus non fuerit.* Apparet, emto-rem, qui conuenit, in mala fide tum demum con-stitui, si fundus fuerit euictus. Haec ita, si emtor ante factam euictionem scientiam rei alienae nondum habuerit. Nuda cognitio haud sufficit. *ead. b. l. Iam, si emtor per subsecutam demum euictionem in ma-la fide constituatur, non possum non colligere, solam litis contestationem malam fidem non inferre.*

§. XXXI.

Liceat uim ac potestatem, quae in l. 25. §. 7. ff. de be-red. per. continetur, suo ponderare momento. In eadem lege praecipuum malae fidei fundamentum est scientia rei alienae. Patet hoc ex uerbis: *coepit*

C

anim

enim scire, rem, ad se non pertinentem, possidere se, is, qui interpellatur. Iam inquit VLPIANVS, non praecife tempus litis contestationis, sed tempus scientiae rei alienae esse attendendum, ita, ut quis post litem contestatam, quinimo post motam controversiam possit esse malae fidei possessor. *I. c.* Sic iam ante litem contestatam mala fides poterit adesse. Inde is, qui bona inuasit, quae *sciret*, ad se non pertinere, etiamsi *ante litem contestatam* fecerit, quo minus possideret, perinde condemnatur, quasi possideret, *I. 20. §. 6. I. 25. §. 2. ff. de bered. per.* cum praedo et ante litem contestatam doli nomine teneatur. *I. 25. §. 7. ff. eod.* Simili ratione mala fides uel tempore litis contestatae, uel demum longe post eandem potest oriri, prout scientia rei alienae uel in ipso litis contestationis actu, uel post illum sese exeruit. Concludo, litis contestationi per se malam fidem non inesse.

§. XXXII.

Accedit summa aequitas, quae huic, quam tueor, assentientiae adstipulatur. Aequum est, ut neminem, citra idonea rerum argumenta, quale non est litis contestatio, (*§. 23.*) pro malo habeamus. Aequum est, ut is, qui legitima defensionis iura habet, audiat. E contrario iniquum est, reum, citra solidam rationem, malis accenlere: iniquum, iura ipsius rei indefensa relinquere: iniquum est, reum, facta litis contestatione, ad possessionem suam in petitorem, licet iura ipsius adhuc sint maxime dubia, transferendam compellere: iniquum denique, reum, si non statim cedat, expensarum atque fructuum restitutione, uel alio modo punire.

XXXIII.

§. XXXIII.

Vsus fori non deest. ICti Helmstadienses plus uice simplici responderunt, litis contestationi malam fidem non inesse. Testis huius rei est Illustris D.N. LEYSERVUS, qui in *Meditationibus ad Pandectarum Specim. 83. m. 5. Spec. 94. m. 3. Spec. 99. m. 6.* responsa collegit, quibus litis contestationi effectus malae fidei fuit denegatus. Ipsa responsa suis inferam locis.

§. XXXIV.

Restringo haec tenus dicta, et litis contestationi malam fidem tribuo, si eadem sit affirmativa, sine additamento exceptionum peremptoriarum facta. Hoc casu reus factum, in libello expressum, fateatur, nec quicquam circa illud monendum habet. Inde, si libellus rite sepe habeat, non potest non mala fides induci, atque reus secundum tenorem libelli condemnari. Secus est, si affirmativa litis contestatio cum additamento exceptionum peremptoriarum sit coniuncta. Hae plus uice simplici probabilem litigandi causam praese ferre possunt, et sic denuo malam fidem excludunt. (§. 14.)

§. XXXV.

Porro litis contestationi malam fidem tribuo, si reus in limine iudicii euidentibus argumentis conuincatur, se iniustam causam habere. Euidentia iniustae causae argumenta produnt scientiam iniustae causae. (§. 13.) Scientia iniustae causae est mala fides; (§. 13.) & sic litis contestatio, ab eo, qui fal-

Si est conuictus, peracta, non potest non malam fidem secum ferre.

§. XXXVI.

Iam dico, quid sentiam. Litis contestatio per se neque bonam, neque malam fidem infert. Si prius uerum esset, nulla daretur litis contestatio, a mala fidei auctore peracta, quod tamen falsum. (§. 34. et 35.) Sin posterius uerum esset, nulla daretur litis contestatio, a bonae fidei auctore peracta, quod itidem est falsum. (§. 23. 25. 27.) Quid ergo? Argumenta, quibus partes utuntur, sunt consulenda, et ex iis, pro ratione circumstantiarum, uel bona, uel mala fides ipsius rei erit diiudicanda. Si eadem sint probabilia, bona fides; (§. 14.) sin nulla plane, uel maxime infirma sint, mala fides adesse creditur. (§. 13.) In dubio circa litis contestationem bona fides praesumitur. (§. 17. et 24.)

§. XXXVII.

EX eo fonte, quo probabilia rerum argumenta pro bona fide militant, (§. 14. & 36.) fluir, reum in casu iuramenti suppletorii, uel purgatorii decernendi per litis contestationem bona fide non excidisse, atque sic expensas litis non praestare. Inde is, cui res ope iuramenti suppletorii euincitur, post litem contestatam adhuc bonae fidei auctor est, atque per iuramenti praestationem in mala denum fide constitutur, adeoque fructus, ante et post litem contestatam perceptos et consumtos, non restituit. *Illustr.*

D N.

DN. LEYSER. *Medit. ad Pand. Spec. gg. coroll. 1.* Ipse Vir Illustris loco citato responsum ICtorum Helmstadiensium adiicit, quod huius est tenoris: Es hat Kühnemann das ihm zustehende Brau-Recht nur zur Helfte erwiesen, und den Mangel des Beweises erst durch den Erfüllungs-Eyd ersehen müssen, in welchem Fall, nach der gemeinen Meynung, die Früchte und Untosten, weil der Gegenthil vor Abwehrung des Eydus in bona fide gewesen, hinweg fallen.

§. XXXVIII.

Iam facillimum erit, ad leges, quae obstarre uidetur, respondere. *VLPIANVS in l. 25. s. 7. ff. de hered. perit.* dissentire uidetur, qui citato loco: *post litem contestatam, inquit, omnes incipiunt malae fidei possessores esse, quinimo post controuersum motam.* Taceo, *VLPIANVM eo ipso, quo effectum malae fidei motae etiam controuersiae tribuit, non praecise litem contestatam respexisse.* (§. 31.) Moneo saltem, praecipuum legalis dispositionis fundamentum in scientia rei alienae latere. (§. 31.) Perpende rationem legis, quae his exprimitur uerbis: *Coepit enim scire, rem, ad se non pertinenter, possidere se, is, qui interpellatur:* et fateberis, Vlpianum effectum malae fidei non simpliciter litis contestationi assignare, sed secundum quid, si scilicet scientia rei alienae adsit. Sic allegata lex non obstat, cum et ipsi affirmemus, litis contestationem tum demum operari malam fidem, si reus, per argumenta petitoris conuictus, scientiam malae fidei acceperit. (§. 35.)

C 3

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Aliud dubium ex l. 20. §. n. ff. de heredit. perit. formatur, in qua haec habentur: PETITAM AVTEM HEREDITATEM etc. id est, ex quo quis scit, a se peti: nam ubi scit, incipit esse malae fidei possessio, id est, cum primum denuntiatum esset. Quid ergo, si scit quidem, ne-
mo autem ei denunciauit? an incipiatur usuras debere pecu-
niae redactae? Et puto, debere: coepit enim malae fidei pos-
sessor esse. His uerbis mala fides factae denunciatio-
ni, uel scientiae institutae petitionis, et sic multo magis
litis contestationi tribuitur. At enim uero non
intelligitur simplex denunciatio, uel scientia institu-
tae petitionis, sed talis, quae cum scientia iniustae
causae est coniuncta. (§. 38.) VLPIANVS de hac, non
de illa denunciatione, loquitur. Idque eo magis,
quo magis SCUM, in §. 6. expressum, haec uerba:
si aduersus eos iudicatum esset, adiecerit. Sane, si uel
simplex denunciatio malam fidem introduceret, uer-
ba: *si aduersus eos iudicatum esset*, plane superflua essent,
cum per se condemnatio fieri deberet.

§. XL.

Non errabo, si eadem, qua utor, distinctionem
ad alias, quae forsan, ut obstantes, allegari pos-
sunt, leges applicem, et ita applicem, ut dicam, illas
de eo saltem loqui casu, quo Scientia rei alienae sub-
est, non, si eadem sit remota. Nostrum est distin-
guere, si leges, citra factam restrictionem, cum praec-
eptis iuridicis ac ipsis legibus non possint conciliari.

§. XLI.

§. XL I.

Reo per litis contestationem non semper in mala fide constituto, (§. 36.) apparet, eundem per litis contestationem non semper fieri malae fidei possessorum. (§. 15.) Inde, ui contrariorum, item contestans plus uice simplici est bonae fidei possessorum.

§. XL II.

His notatis, clare patet, reum fructus, post item contestatam perceptos, non semper ac indistincte restituere. Ipse reus poterit esse bonae fidei possessor, licet uel maxime item contestatus fuerit. (§. 41.) Bonae fidei possessor fructus suos facit. *I. 48. pr. ff. de acquir. rer. domin.* (§. 16.) Inde reus quoque, scientiam iniustae causae non habens, fructus, post item contestatam perceptos, suos facit. Sic ICti Helmstadienses, teste *Illustr. Dn. LEYSERO in Mediz. ad Pand. Spec. 94. m. 3. mensis Junio anni c 1515 CCXV.* responderunt. Verba responsi ita sese habent: *DqS Grauamen der Klägere gehet dahin, daß ihnen nicht auch die Fructus percepti und percipiendi, wenigstens von Zeit der erhobenen Klage an, nach welcher auch ein bonae fidei possessor pro praedone zu achten ist, zuerkannt worden; Nachdem aber die Vermuthung jederzeit pro bona fide ist, ferner Beklagter auch post item contestatam viele wahrscheinliche Gründe, sonderlich aus der Magdeburgischen Polizey-Ordnung, ingleichen wider das ohne sein Vorwissen gehaltene Zeugen-Berhér vor sich gehabt, demnach pro malae fidei possessore nicht gehalten werden*

werden kan; So hat man ihn billig mit Erstattung der Nutzungen verschonet. Simili ratione iidem ICti, referente Illustri Dn. LEYSERO l.c. Spec. 99. m. 6. mense Aprili anni c 15 15 CC XVIII. iudicarunt. Verba sententiae sic fluunt: Num mehr aus den Aeten so viel zu befinden, daß Beklagte mit Erstattung der fructuum perceptorum und percipiendorum zu verschonen. Dahingegen bleibt es, was die Abreitung des Guthes selbst betrifft, bey dem am 13. Jul. 1714. eröffneten Urtheil billig. Adiiciuntur haec rationes decidendi: Es ist das letzte Grauamen wegen Erstattung der fructuum perceptorum und percipiendorum sehr erheblich. Zwar wissen wir wohl, daß die Rechte post item contestatam auch einen possessorem bonae fidei pro possessore malae fidei achten, und zu Erstattung aller Nutzungen anhalten. Alldieweil aber Beklagte die oben gedachte starcke prae sumtiones, den von Schrammen empfangenen Cessions-Schein, den gerichtlich aufgerichteten Contract, die Guthsherrliche Belehnung, den vieljährlichen Besitz vor sich, demnach große Ursach gehabt, den Klägern nicht also fort zu weichen, sondern ihr Recht nach Möglichkeit zu beschützen, auch die angestellte Klage und erfolgte litis contestation sie bey so starken Gründen nicht gleich in mala fide setzen können; So haben wir, sie mit Erstattung der Nutzungen gänzlich zu verschonen, vor billig geachtet. Idem ICti, docente Ill. Dn. LEYSERO l.c. mense Martio anno c 15 15 CC XIX. sic pronunciarunt: Das zwar, so viel die Haupt-Sache betrifft, es, der eingewandten Appellation ungeachtet, bey dem am 4ten Merz

1716.

1716. eröffneten Urtheil zu lassen, Beklagter jedoch so wohl die eingehobene Nutzungen, als verursachte Unkosten, weiter nicht, als vom 14. Nov. 1714. bis iezo zu erstatten verbunden. Annexatur hae rationes decidendi: Wir haben nicht umbhin gefont, das in erster Instanz gesprochene Urtheil zu bestätigen. Nur ist wegen der Nutzungen und Erstattung der Unkosten eine Erklärung anzuhängen. Zu beiden ist Beklagter, so lange er in bona fide gestanden, den Rechten nach nicht verbunden. Nun aber ist das bloße Vorgeben der Klägerinnen von der ihnen geschehenen Schenkung, da sie das darüber aufgerichtete Instrument vorzuzeigen nicht vermocht, den Beklagten in mala fide zu setzen, nicht hinlänglich gewesen. Demnach mag er die Früchte und Unkosten zu erstatten ehe nicht, als bis ihn der communicirte Zeugen-Rotulus der Schenkung halber völlig convinciret, angehalten werden.

§. XLIII.

Litem mouet Imperator, qui §. 2. *Inst. de offic. iud.* haec proponit: *Si uero bonae fidei possessor fuerit, non haberur ratio neque consumtorum, neque non perceprorum. Post inchoatam autem petitionem etiam illorum fructuum ratio habetur, qui culpa possessoris percepti non sunt, uel percepti consumti sunt.* Docetur, bonae fidei posses-forem post inchoatam item omnes fructus, et perceptos, et percipiendos, restituere debere. Ita est, si modo reus post inchoatam petitionem scientiam iniustiae causae acceperit. (§. 38.) Scientia iniustiae cau-
sae inuoluit malam fidem, (§. 13.) et sic ex bonae fidei

D

dei

dei possessore sit malae fidei possessor. (§. 15.) Secus uero est, si reus post inchoatam petitionem scientiam iniustae causae non acceperit. Tunc reus permanet bonae fidei possessor, et sic post inchoatam quoque petitionem iura possessoris bonae fidei retinet. (§. 16.) Ipsa rei qualitas iubet, ut dicamus, Imperatorem in citata lege non hunc, sed illum casum respexit.

§. XLIV.

*E*andem responcionem ad l. 22. C. de Rei vindic. applico, in qua haec leguntur: *Certum est, malae fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re praestare, bona fidei uero extantes, post autem litis contestationem upiuersos.* Vniuersi fructus post litis contestationem a bonae fidei possesso praestantur, si per euidentia rerum argumenta falsi conuictus fuerit; non praestantur, si tempore litis contestatae scientia rei alienae abfuerit.

§. XLV.

*D*antur adhuc plures aliae leges, in quibus inculcatur, omnes omnino fructus post item contestatam esse praestandos. Pertinent huc l. 56. ff. de hered. pet. l. 35. ff. 1. ff. de rei vind. l. 2. l. 38. ff. 7. ff. de usur. l. 4. ff. 2. ff. fin. regund. et aliae. Non immoror explicationi harum legum, cum ex iis, quae adduxi, iamiam pateat, eadem esse uera, si reus tempore litis contestatae notitiam iniustae causae habuerit, non, si eadem tempore litis contestatae fuerit destitutus. (§. 43. et 44.) Tantum uero abest, ut propter allegatas, quae obstatre saltem uidentur, leges cum HOPPIO ad ff. 2. Inst. de offic. iud. generaliter iudicemus, bonae fidei possessorum post item contestatam rescindere, obiectum litis

tis

tis esse alienum, et sic pro malae fidei possessore haberi; ut potius firmiter statuamus, bonae fidei possessorem post litem quoque contestatam adhuc de iustitia causae posse esse persuasum, et sic per litis contestationem bona fide sua non excidere.

§. XLVI.

Quicquid iuris est circa fructus, idem iuris est circa causam, per quam intelligimus omne lucrum, quod occasione rei percipitur. Inde reus per litis contestationem non semper amittit causam. Bonae fidei possessor sibi acquirit causam. *l. 23. ff. de acquir. rer. dom.* Hic per litis contestationem in mala fide non constituitur. (§. 36.) Inde reus, si sit bonae fidei possessor, non attenta litis contestatione, causam lucratur.

§. XLVII.

Leges denuo huic sententiae repugnare uidentur. **C**AIVS in *l. 20. ff. de rei uindic.* haec affert: *Praeterea restituere debet possessor, et quae post acceptum iudicium per eum non ex re sua acquisiuit: in quo hereditates, quoque, legataque, quae per eum seruum obuenerunt, continentur: nec enim sufficit, corpus ipsum restitui, sed opus est, ut et causa rei restituatur: id est, ut omne habeat petitor, quod habitus foret, si eo tempore, quo iudicium accipiebat, restitutus illibomo fuisset.* Idem **P**APINIANVS in *l. 2. ff. de usur.* fateatur his uerbis: *Vulgo receptum est, ut, quamuis in personam actum sit, post litem tamen contestatam causa praefterur; cuius opinionis ratio redditur: quoniam, quale est, cum petitur, tale dari debet.* Salua tamen res est. Scilicet causa post litem contestatam debetur, si reus tempore litis contestatae falsi conuictus fuerit; (§. 15.) non debetur, si

desit alienae rei scientia. (§. 16. et 45.) Leges de illo saltem casu loquuntur, et sic re uera non obstant.

§. XLVIII.

Litis contestatione malam fidem per se non inferente, ulterius patet, reum post litem contestatam non semper in expensas condemnari. Expensae litis ob temerariam litem adjudicantur. §. i. *Infl. de poen. tem. litig. l. 79. ff. de iudic.* Lis temeraria est, quae iusta ac probabili causâ destituitur. Iam uero ipse reus post litem quoque contestatam probabilem litigandi causam habere potest, (§. 23. et 25.) cum litis contestatio per se malam fidem non inferat. (§. 36.) Inde reus, in bona fide constitutus, per litem contestatam non fit temerarius litigator, (h. §.) et sic non condemnatur in expensas. Pertinet hoc sententia ICtorum Helmstadiensium, quam in §. 42. ultima sede adduxi. Huic aliud ICtorum Helmstadiensium adiungo responsum, quod *Illustr. Dn. LEYSERVs in Medit. ad Pandect. Specim. §3. m. 5.* his communicat uerbis: *Es ist darinnen eine Laeson zu verspüren, daß die Innungen, wenn sie schon mit Recht in der Haupt-Sache unten gelegen, zugleich in die Erstattung der Schäden und Unkosten vertheilet worden, da doch der Klägere Beweis größten Theils in blossem Muthmassungen besteht, die beklagte Innungen hingegen, nebst andern sehr wahrscheinlichen argumentis, die Länge der Zeit, mithin optimam fidem vor sich haben, gleichwohl mala fides nicht sofort per litis contestationem, es wäre denn mit selbiger eine gnugsaumre Überzeugung durch unverwerffliche argumenta verknüpft, verursachet wird.*

§. XLIX.

§. XLIX.

Negato malaे fidei effectu, apparet, ipsum reum non semper eo ipso, quo litem contestatur, moram facere. Mora est iniusta dilatio rei peragendae. Reus post litem quoque contestatam probabilem litigandi causam habere potest, (§. 23. et 25.) cum litis contestationi mala fides non insit. (§. 36.) Probabilem litigandi causam habens non statim cedere, atque ius suum temere indefensum relinquere debet. (§. 29.) Sic defensio iuris sui, post litem contestatam ex probabilibus rerum argumentis facta, non est iniusta dilatio; (h. §.) et sic reus, in bona fide constitutus, nullam per litis contestationem facit moram.

§. L.

Eadem sunt, quae PAVLVS in I. 24. pr. ff. de usur. inculcat his uerbis: *Si quis solutioni quidem moram fecit, iudicium autem accipere paratus fuit: non uidetur esse moram, utique se iuste ad iudicium prouocavit.* Nec est, ut cum PAPINIANO, absentiam morae post litem quoque contestatam in I. 3. pr. ff. de usur. concedente, adhuc dubitemus, an facile euenire possit, ut mora non praecedente, perueniatur ad iudicem. Facillimo utique negotio potest euenire, ut citra moram iudicium accipiatur, cum negari non possit, reum plus uice simplici iustum litigandi causam habere. (§. 25.)

§. LI.

His positis, reus post litem contestatam non semper usuras praefat. Litis contestatio, uti non sem-

D 3

per

per malam fidem, (§. 36.) ita nec semper moram inducit. (§. 49. et 50.) Dificiente mora, usurae non debentur. Animaduerto, PAVLVM in l. 35. ff. de usur. cursum usurarum a tempore litis contestatae computare. Huic satis fit, si dicamus, usuras post litem contestatam currere, si reus scientiam iniustae causae habuerit; non currere, si reus iniustae causae fuerit ignarus. Illo casu mora adest; hoc casu mora deest; (§. 49.) et sic illo, non hoc casu, a tempore litis contestatae debentur usurae.

§. LII.

Elucet, reum post litem contestatam non semper de culpa respondere. Litem contestans poterit esse auctor bonae fidei. (§. 23. et 25.) Auctor bonae fidei nullam culpare rationem reddit, cum rem quasi suam negligat. l. 31. §. 3. ff. de bered. pet. (§. 16.) Bona fides per litem contestatam non tollitur. (§. 36.) Innuo, reum, in bona fide constitutum, post litem quoque contestatam culpare reum non fieri.

§. LIII.

Obiciet quis forsan l. 45. ff. de rei vindic. in qua dicitur, bonae fidei possessorem post litem contestatam de culpa quoque cauere debere. Obiciet l. 4. §. 2. ff. fin. reg. secundum quam post litem contestatam et dolus, et culpa praestantur. Obiciet alias leges, idem inculcantes. At enim uero leges istae loquuntur de eo casu, quo litem contestans per evidencia petitoris argumenta scientiam alienae rei accepit. Hoc casu litem contestans est malae fidei auctor; (§. 13. et 15.) et sic praestare debet culpam. Secus uero

vero est, si litem contestans scientia rei alienae sit destitutus. Hoc casu est bonae fidei auctor, (§. 14.) et sic non praefat culpam. (§. 16. et 52.)

§. LIV.

Simili ratione reus post litem contestatam non semper mortalitatem praefat. *I. 40. pr. ff. de hered. pet.* Res suo perit domino. Ipsi reo post litem contestatam non semper aliquid potest imputari, cum possit esse auctor bonae fidei, (§. 23. et 25.) omnisque mora deficere possit. (§. 49.) Inde reus, in bona fide constitutus, casum fortuitum non praefat, licet uel maxime litem fuerit contestatus.

§. LV.

Quid iudicandum erit de citatione? Annon haec forsan hodie malam fidem inducit? Ita multi iudicant; qui unum, alterumue litis contestationis effectum, in iure ciuili statutum, hodiernae citationi tribuunt. Absit uero, et procul absit, ut hoc admittamus, ut potius affirmemus, citationi malam fidem non inesse. Eadem, quae pro absentia malae fidei circa litis contestationem militant, rerum argumenta, non incommodo ad citationem applicantur.

§. LVI.

Stat sententia, qua citationi pariter ac litis contestationi malam denego fidem. Iudico, me idem illud hoc specimine sat comprobatum dedisse. Iam finem hisce meditationibus impono, meque humaniſſimo Lectori de meliori nota commendando.

F I N I S.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTIS-
SIMO
D O M I N O
R E S P O N D E N T I
P R A E S E S.

Dici non potest, quam blande afficiar,
quoties in TE, VIR NOBILISSIME,
intueor. Iam dudum uirtutes TV-
AS cognoui. Eadem in dies singulos TE ad
maiora concitant. Praeclari hoc est animi si-
gnum. Inde factum est, ut non modo Wolf-
fianae Philosophiae, quae maximos in arte iu-
ridica, ingenue fateor, praefat usus, operam
dederis; uerum etiam elegantissimo iuris studio
non infelici haetenus successu TE consecraue-
ris. Iam prodis in publicum. Opto, ut hocce in-
stitutum **T I B I**, VIR NOBILISSIME, bene atque
feliciter eueniat. Gratulor quoque **AMPLIS-**
S I M O C O N S U L T I S S I M O Q V E P A R E N T I
T V o, qui Remp. Saxoniam meritis ornat, de-
tali filio, qui elegantissimis animi dotibus uti-
tur. Vtere, VIR CLARISSIME, uirtute tua, et ma-
cte, ut eadem **T I B I**, peracto studiorum cursu,
fructus largae messis, bonorum omnium plau-
su, exhibeat. Dab. Vitemb. d. VII. Iul.
clocc XXXVI.

ULB Halle
001 951 815

3



TA ->OL



Pr. 13. num. 17.

Q. D. E. V.

DISSERTATIO IVRIDICA

DE

L I T I S
CONTESTATIONE
MALAM FIDEM NON
INFERENTE

QVAM
PRAESIDE

HENRICO BROKES

IVRIVM DOCTORE

FAVTORE AC DOCTORE SVO OMNI PIETATE
COLEND^O

IN ILLVSTRIS AD ALBIM ACADEMIAE
AUDITORIO IVRIDICO

D. XII. IVL. CIO IO CC XXXVI.

PVLICE VENTILANDAM
PROPONET

FRIDERICVS PHILIPPVS
LINGKIVS

DRESD. MISN. LL. CVLTOR.

VITEMBERGAE

TYPIS EPHRAIMI GOTTL. EICHESFELDI.

